

472

DISPUTATIO PHYSICA

Continenſ

Doctrinam de viſu & viſionis modo à Peripateticis tradiſtam: Vna cum nonnullis conſectariis & corollaris.

DE QVA

Deo Opt. Max. clementer favente.

SVB PRÆSIDIO

Excellentissimi Philosophi, Domini

M. RODOLPHI
GOCLENII, PROFES-
SORIS IN CELEBERRIMA
ACADEMIA MAURITIANA CELE-
berrimi, præceptoris mei æternūm
colendi

*In Majori Philosophorum auctoritatibus reddivis re-
ſpondebat.*
CASPARUS MUNICHIUS GRU-
ningo-Wedderavius.



MARPURGI

Excudebat Guolgangus Kezelius

M. DC. VIII.

REVERENDIS, CLA-
RISSIMIS, PRUDENTISSLIMIS,
Excellentissimisq; Viris

- DN. GREGORIO SCHONFELDIO,
SS. Theologiaz Doctori, Professori & Eccle-
siastæ Primariö, & pro tempore Rectori Ma-
gnifico.
- DN. M. RODOLPHO GOCLENIO, PHI-
losophiaæ primæ & practicæ Professori acutissi-
mo, & pro tempore Laudabilis facultatis Phi-
losophicæ Decano spectabili.
- DN. M. CHRISTOPHORO SPRENGE-
ro, Illustris ac Generosi Comitis ac Domini
Dn. Hermanni Adolphi, Comitis in Solms &c.
Præfecto ac consiliario Spectatissimo.
- DN. CAROLO CELLARIO, ILLU-
stris ac Generosi Comitis ac Domini Dn. Gui-
lielmi Comitis in Greiffenstein &c. Præfecto
ac Consiliario fidelissimo.
- DN. ZACHARIÆ NEUHOFIQ CEL-
lario Butzbaceium dignissimo.
- Dn. Joanni Schragio Cellario Solmensiū præstantiss.
- D. D. Præceptoribus, Patronis & fautoribus
suis summa animi devotione Colendis
& observandis, hanc συγκίνοιαν Philoso-
phicam Amoris & Honoris ergo
dedicat & offert A. & R.

DE VISU THESIS I.

Maximum Campum spinis longè lateq; ; ut cum Scaligero subtilitatum Magistro exordiar, ingredimur, dum disputationem de visu aggredimur. Exer. 301. s. 1. De hac enim omnium seculorum Philosophi rixati sunt, neq; hac etiam ætate Medicis cum Peripateticis convenit.

2. Nam Coloris natura, qui visus objectum dicitur, in profundissima caligine inscitiae humanæ latet Sc. ex. 325. l. 4. Hujus causæ & essentiae tam controversæ atq; obscuræ sunt intellectui, quam sunt ipsi visui manifestæ. Scal. ibid. s. 1.

3. Lux item (visus medium) pars est subtilissima in Philosophia. Sc. ex. 71. s. 3. Nihil nunc dicam de modo visionis, de quo à nata Philosophia in hunc usq; diem disputatum est,

4. Quemadmodū autē, ut in proverbio est, οὐκολατὰργλατὰ ita doctrina de visu cum lūma difficultate, lūma quoq; suavitatem & amoenitatē ob summā ejus nobilitatem, conjunctā habet Sc. ex. 298. s. 16. Hunc enim sensum reliquorum exteriorum cum Platone acerrimum, cum Zabarella, Fons. alisq;, nobilissimum dicere non erubescimus.

5. Ut autem ordine procedamus, duo cum zab. Ut pote cuius duætum & viam hīc sequimur, tractanda suscipimus, quorum unum erit de iis, quæ ad visum requiruntur, alterum de visionis modo.

6. Visus est sensus exterior, qui facultate aspectabile facit actu aspectabile Arist. 2, de an. c. 7.

7. Objectum visus est visibile, seu aspectabile.
Sensibile enim ad suum sensum se habet relativè, ut
Dialectici loquuntur.

8. Visibile est corpus radians, id est sui speciem
aliorum diffundens. Dn. Hartm. in opt. prælect.

9. Visibile est triplex: Color, luminosa corpora,
& auras, quæ noctu tantum videntur: interdiu pro-
pter luminis majoris præsentiam non cernuntur.
Arist. d. l. r. 72. Clariss. Dn. Præses in Phys. compl.
l. 2. c. 6. & disput. phys.

10. Quum tamen visibile denotet corpus tali
perfectione præditum, ut cerni possit: Corpus au-
tem non videatur, quatenus est tale, aut quantum,
sed quatenus est præditum colore: color primum
& præcipuum visus objectum statuitur. Curaeus l. 1.
de sens. c. 12. Hoc enim illi respondet, tanquam
propria perfectio, proprio perfectibili Zab. de. N.
cœli. c. 5.

11. Color est extremitas perspicui in corpore
terminato, movens primo ipsum actu perspicuum,
deinde ipsum visum animalis Arist. i. de. sen. & sen.
fil. c. 3.

12. Color duplex est, realis & apprens. Zab. p. 858.

13. Realis oritur ex sola cōdensatione perspicui. ib.

14. Hæc sit duobus modis. I. per constipatio-
nem, quando sine alicuius alterius corporis admitti-
one ipsum solum perspicuum corpus in se constipa-
tur, neq; in aliam naturam mutatur. præterquam
quod sit densum & desinit esse pervium & incipit
terminare visum. ib.

Per

15. II. Per admisionem opaci; quando non solum perspicuum constipatur, sed etiam admiscetur opacum.

16. Fit autem hæc admistio: vel, per solam compositionem sine vera mistione: vel cum vera mistione.

17. Hinc oritur diversitas colorum. Si enim priore modo etiam perspicua condensentur, fiunt alba, vel parum ab albedine recedunt: si posteriore modo, nigra vel nigredini affinia.

18. Duo igitur extremi sunt colores, albus & niger: Horum intermedii sunt reliqui Arist. d. l.

19. Apparens color oritur ex commissione specierum spiritualium in medio, id quod fit, si per eandem rectam lineam utriusque coloris species feruntur ad oculum, tanquam color unus medijs. p. 862.

20. Differt hic à reali in eo, quod realis omnino pendeat à subjecto, in quo est, & ad ejus motum moveatur, ut color vini: hic vero pendeat ab agente, à quo producitur, nec moveatur ad motum subjecti, in quo recipitur, ut color in linteo panno productus à colore vini in phiala existentis. Zab. d. l.

21. Medium, quo utitur vilus, & per quod color ad visum defertur, dicitur ab Arist. Perspicuum, quod nihil aliud est, quam corpus, propter partium tenuitatem transparens, nec visum terminans, unde etiam interminatum dicitur, ibid.

22. Hoc aliorum colores in tota sua substantia recipit. Transparere enim est per intimam substantiam porrigi. Dn. Goclenius disp. Phys. l. 7, Cursus, l. 1. de sen-



Ad

23. Ad hoc requiritur, cum, ut sit pervium, cum
ut substantia habeat tenuitatem & subtilitatem, ut
per eam possit lumen intima penetrare.

24. Perspicua alia ingenitum habent lumen, ut
cœlum, ignis & fulgentia: alia mutuaticū. Cur. d. I.

25. Hæc rursus sunt vel simplicia; ut, aér & aqua;
vel composita, vitrum, cornu crystallus. Ar. 2, de
an. c. 68.

26. Lumen est actus corporis perspicui, quatenus
perspicuum est. Arist. d. I. t. 69.

27. Hic duæ quæstiones controversæ discutiendæ sunt; quarum prima hæc est: Utrum lumen & lux differant, an vero sint unum idemq;?

28. Nos affirmamus utrumq; sed ratione diversa. Nam lux & lumen sunt unum idemq;, quatenus
sunt qualitas luminosa. Urs. disp. 15. quæst. ill. Phil.

29. Differunt v. i. ratione subjecti cui insunt.
Lux enim propriè est in corpore lucido, ut, in sole &
aliis astris, igne aliisq;: lumen vero in corpore per-
spicuo tanquam ~~perspicuo~~ Zab. c. 4. l. 1. de, vis.

30. II. Ut causa & effectum. Lumen enim
est effectum, opus lucis Sc. ex. 71. l. 1. Est imago &
lucis similitudo Ex. 75. l. 1. item species & repræsen-
tatio lucis, à qua est generata: sicut proles profert pa-
rentem. Dn. Gocl. in prodr. lex. Phil. q. 38.

31. III. Lumen non est durabile: insensibili mo-
do fit, & rursus deficit: non permanet in corpore per-
spicuo, sed sipe ab eo actu separatur, succedenti-
bus in eius locum tenebris: lux vero semper perma-
net in corpore lucido, neq; ab eo separari potest sal-
va ma-

va manente essentiā eius Timpl. L. i. Phy. c. 7. quæst.
2. Per. l. 15. p. 782.

32. IV. Lux non habet sibi quicquam vel contrariè vel privativè oppositum. Neq; enim potest vel contrarietas vel privatio stare simul cum incorruptibilitate & immutabilitate ea, qua pollent cœlestia: lumen vero habet sibi privativè oppositas tenebras Urs. d. loco. Nam si lumen est actu, tenebrae sunt potentia & vicissim. Ar. l. 2. de an. t. 69. Per. ibid. Scheg. in Com. in prædic. Arist.

33. Altera quæstio controversa est, sit ne lumen substantia an accidens? Posterius affirmamus his moti fundamentis.

34. Si enim est substantia, erit vel incorporea vel corporea. Incorporea non est, 1. quia inest corporibus, & ex corporibus prodit. 2. quia sensu per se capitur. Per. l. 15. c. 4., p. 782.

35. Neq; corporea; 1. quia nō posset subito ab ortu ad occasū transire, sed necessariò in tempore; corpus enim per spatiū plenū moveri non potest nisi in tempore, ob medii corporis resistentiā. Zab. p. 869.

36. II. Nullum occupat locum. Ergo non est corpus. Funditur enim per totum corpus peripicum, quod illustrat, nec tamē major occupatur locus. Ergo duo corpora essent in uno loco, & se mutuo penetrarent quod est absurdum Arist. d. l. c. 7.

37. Erit g. Accidens: Jam porrò quæritur; Utrum sit accidens reale, an intentionale? Nos cū Scoto, Zabar, aliisq; Philosophis utrumque dicimus, sed respectu diverso.

Nam

38. Nam lumen habet esse reale; I. quia reales est
fectus producit: calefacit enim, extenuat, purgat.
II. respectu subiecti, in quo haeret.

39. Intentionale vero respectu objecti materialis,
quod repræsentat, & cuius dicitur species. Scal. ex
75. f. 1. Nam producitur à luce lucidi corporis, tan-
quam ab objecto reali. Arist. d. 1.

40. Nihil igitur impedit, quo minus aliquid
possit esse simul & res & intentio rei.

41. Si lumen non esset intentio, sed solum habe-
ret esse reale, tunc superpositum oculo non faceret
visionem. Certum enim est lumen mouere oculum.
Si vero non movet, ut intentio alterius, sed ut res se-
cundum se, ergo est objectū terminativum visionis;
tale a. tangens oculū impedit tensionem, quoniam
instrumentū sensus debet pati à specie objecti imme-
diatè, non ab ipsomet objecto reali. Scot. recent. Zab.

42. Hoc vult Ari. dum inquit: sensile positi supra
sensem, tensionē non facit: quod intelligendū est de
objecto reali terminante tensionē, nō de ejus specie.

43. Organum visus est duplex: alterum materi-
atum magis, alterum minus. Scal. ex. 325. f. 5.

44. Materiatum magis est ~~visus~~ ieu pupilla binorum
oculorū, qui sunt à natura rotundi & globosi facti, tū
ut capienda quantitati sufficerent, tum ut celerius
visu apprehendere multa valeant, quandoquidem
globosis summa inest revolutionis facilitas. Cxl.
Rhod. l. 9. c. 2. Scal. ex. 325. f. 4.

45. Pupilla vero est, humor ille qui crystallinus
dominatur, à figura & consistentia.

46. Materiatum minus & vergens ad animæ sub-

stantiam sunt nervi optici, & Spiritus animales contenti in ipsis, quibus anima utitur ad receptionem tanquam promis & sequestris Sc. ex. 398. l. 16.

47. Magna hic est controversia inter principes Philosophiarum de materia visus. Aristoteles enim illū vult esse aqueum: Plato vero, quem sequitur Galenus, igneum.

48. Sed hæc controversia facile deciditur, si cum Scalig. aquam oculi materiale; ignem vero formale statuamus, Ex. 397. l. 3.

49. Aqua enim inest oculo, propter humorem Crystallinum, qui nihil aliud est quam aqua, sed illustris, nec sine aere: tam solida, ut considerere ibi possit species visibilis: tam tara, ut per eam penetrare, ac transmitti possit, ut ait Seal, d. l.

50. Ignis vero propter radium, qui est in oculo: seu, propter splendorem Spiritus, qui videtur in oculis etiam clausis, & materiam illam aquam tanquam forma percipit & exornat.

51. Hucusq; de visionis natura: sequitur de visionis modo, ubi fluctuans & à ventis agitata se nobis offert navis, quam his sistemus anchoris.

52. In visione aut aliquid egreditur ex oculo, aut aliquid ingreditur in oculum.

53. Si egreditur aliquid ex oculo; illud est aut Substantia aut accidens: & substantia quidem vel incorporea vel corporeæ. Non prius, esset enim ipsa anima, præter quam in homine nil est incorporei. Nihil autem de essentia animæ decedit. Est enim indivisibilis forma, cui nihil addi aut detrahi potest,

sine commutatione speciei. Ar. 8. Met. c. 3. t. 10.
Per. l. 8 c. 10.

54. Neq; posterius. Sic enim I. Visio non fieret
in momento, corpus enim tempore movetur Ar. 6.
Phys. c. 3. & 4. c. 14. II. corpus flante vento mo-
veretur, & ita visio impediretur, quod tamen non
contingit. III. Magna sic fieret virium enervatio atq;
imbecillitas.

55. Neq; accidens, quale lumen esse volunt. Nā
I. Accidens migraret de subjecto in subiectum, II.
Hoc dato, sed non concessō; Si egreditur lumen, il-
lud est aut infirmius lumine diurno, aut intensius.
Si illud, aut non exilit, aut frustrā. Nam minor lux
semper obscuratur & dissipatur à majori. Si hoc, da-
retur fulgor major, quām est solis.

56. Præterea emittuntur lumina à pluribus. Ergo aér
tempore nocturno vel loco tenebroso illustrabit. Et sic
videbim⁹ etiā nocte: quod tamē experientia repugnat

57. Ad hæc, si egreditur lumen, illud aut pertin-
git usq; ad objectum; & cū coloribus ac rebus visis ite-
rū ad oculū revertit: aut egreditur quidem, sed sub-
sistit, neq; pervenit usq; ad rem visibilem. Si prius:
quomodo tam cito posset pertingere usq; ad astra?
Nam prius mille modis immutaretur, & formā speci-
ficam amitteret.

58. Non igitur verum est, quod ait in suo catop-
trico Ptolemeus, apertis oculis eorum radios momē-
to temporis ad cœlū usq; pertingere. Scal. ex. 80. f. 8.

59. Secundò, si porrigitur ad rei magnitudinem,
ergo in qualibet distantia eandem debet magnitu-
dinem judicare: ubicunq; enim ea sit, ipse eam am-
pactetur

pleteatur, ut est. At non ita evenit, nam propinquū hominem videmus ut maiorem, remotum vero ut minorem, & astra judicamus multo minoris quantitatis, uti sunt.

60. Si posterius; sequetur hinc. I. Visionem fieri exta oculum, quod redolet absurditatem. Nam ibi esse rē visam oportet, ubi judicatur, siquidē visio debet esse cōiunctio facultatis visivæ cum re visa, seu eius mutatio in rem visam Zab. c. 4. l. 2. de vis.

61. Ad hæc, nō erit animal videns, sed aér. Et sic aér erit visiōis instrumentū, quod refutat Scal. ex. 325. l. 5.

62. At dicas, egredi ex quadam naturali cupiditate, ut copuletur cum diurno lumine, & cum eo concrescat in unum corpus. Dico ego, ex corpore & accidente unum corpus fieri dicere vanum est: quæcunq; enim miscentur, sunt corpora.

63. Nihil igitur egreditur ex oculo. Ergo aliquid ingreditur: & hoc est, vel imago corporalis decisa ab obiecto per defluxū: vel qualitas quædam spiritalis.

64. Non prius: sequeretur enim I. Visum percipere sua obiecta tangendo, quia corpuscula illa oculum feriant, sicut calor manum. Si vero visus tatus est, etiam calidum & frigidum oculis sentiemus, quod ἀτοπον est.

67. II. Si à re visa tot manant effluxus, nonne citò res, quæ videtur, diminuetur & evanescet?

68. III. Si esset species corporalis, non momento gigneretur, nec momento moveretur, quod fieri videmus. Ex longa enim distantia unico momento recipio speciem rei visæ.

69. Est igitur qualitas, seu species quædam spiritualis, quæ nihil aliud est, quam essentia quædam tenuis, rara, cognata ætheri, decisa ex forma propria substantiæ, quæ momento gignitur.

70. Hæc etsi ab omnibus cōditionib' corporeis expoliata non est, sed aliquid materiale retinet, tamen hoc ita est depuratū & tenuē, ut contrariū habeat, & referat imaginem rei, à qua emanavit. Cur de sen. & sens. l. i. c. 5. Zab. fol. 767. 789. & 921. 949. in lib. Phys. Vide Scal. Ex. 298. f. 1.

71. Hæc species spiritualis recipit vel in superficie, vel ipsa oculi substantia introrsum.

72. Non in superficie. Non enim quicquid apparet in superficie oculi, continuò videtur: Aliás enim speculum diceretur videre, id quod est absurdū.

73. At dicas: Apparet tamen in oculo impressa imago alterius tanquam in speculo? Respondeo, hanc imaginem, quam in oculis aliorum intueri sollemus, nihil aliud esse, quam refractionem speciei tanquam in speculo, quoniam superficies oculi instar speculi terfa ac lœvis est. Zab. c. 1. l. 2. ex Arist.

74. Hanc autem in oculo habere, inquit Arist. non est videre, sed videri ab alio, non enim ille videt, qui in oculis habet imaginem, sed alius, qui imaginem in oculo alterius intuetur. ibid.

75. Recipiuntur igitur species aspectabiles in ipsa oculi substantia intrinsecus, quæ sententia est Peripateticorum, & veritati maximè consentanea.

76. Receptionis autem modus hic est. Primum à corporibus aspectabilibus manant species quædam in cir-

in circumfusum aërem luce solis vel ignis illustratum & pellucidum factum, ipsumq; afficiunt & in eo semper hærent. Sc. ex. 80. l. 8.

77. Postea species pupillæ offertur, eiq; eon-
jungitur minimo temporis momento, ita ut quo-
cunq; locorum oculos vertex, semper præstò sint.
Sc. ex. 298. l. 1. & 16. & ex. 80. l. 8.

78. Deniq; Spiritus recipiunt impressas spe-
cies, easq; sensu communi offerunt, ubi fit agnitus,
discretio & dijudicatio de speciebus illis Sc. ex.
297. l. 3. Mag. l. 6. Ph. c. 8.

79. Hæc quamvis satis luceant, tamen ut ma-
jorem fidem mereantur, quibusdam radiis argu-
mentorum illustrabimus.

80. Primum dico: Omnes sensus fieri in suo in-
strumento, quippe quod à natura in eum finem fa-
ctum, ut species recipiat. Ergo & visio fit in oculo.
Quid autem tanto artificio opus erat in oculo, si ibi
non futura fuisset recepio?

81. II. Sicut in speculo nulla ab eo facta emissio-
ne species objectæ recipiuntur, ibi q; reflectuntur &
coecunt, rei q; præsentis imaginem repræsentat, quo-
si esset in speculo vis animæ perfectæ, speculum vide-
ret, ita quoq; in oculo tanquam in speculo animato
fit reivisibilis receptio. Scal. ex. 298. l. 16. & ex. 80. l. 8.

82. III. Si visio fieret emitendo, esset intellectu
vitus nobilior. Intellectus enim perficitur recipien-
do. Tum autem astra à visu perficerentur, receptâ ab
eo visione. Quod fatuum est. At astra objectu suo,
lux effectu suo efficiunt visionem. Sc. ex. 63. l. 2.

83. His addo & hæc duo optica argumenta immota, *eis deoꝝ*, vel *μητρον ταν ειδων* unicè stabilitia, ut fatuum vel etiam insanum existimem, qui illa negare ausit.

84. Primum hoc est: Visibile excellens lœdit vi-
sum. Sic solis iubar, sic fulgor fulgetri adeo lœdunt
oculos, ut aut aliquando excæcent; sic Democritus,
autore Agellio, polito æreo clypeo contra solem po-
sito; eius radiis sibi oculos aciemq; luminis effudit;
aut si non excæcent, linquunt tamen splendoris sui
relliquias diu in organo.

85. At quis tam demens unquam fuerit, qui di-
xerit, hoc evenisse oculo propter emissos visivos ra-
dios & ab aspectabili excellenti lœsos, cum impressio
hic fiat, & tamen non destrutio organi, iniurias ab
improportionata receptione speciei excellentioris
pati?

86. Luculentius multum est, quod secundo lo-
eo sequitur receptionis argumentum, ac tanti mo-
menti, ut ab eo universam litem de modo visionis di-
remta esse exquisitissimæ certitudinis iudicium fuerit.

87. Constat experientia: Si lux per angustum
foramen in locum tenebrosum incidat, intus ad ob-
jectam papyrus representari omnia, quæcunq; fo-
rinsecus hinc inde à luce illustrata rectâ afflunt.

88. Visio non aliter fit. Oculus enim secundum
interiorum partium dispositionem est locus ille te-
nebrosus, cui à natura factum est foramen externè,
quod pupillam vocamus: humor crystallinus est pa-
pyrus objecta foramini.

Quem-

89. Quemadmodum itaq; radii forinsecus per
foramen in locum tenebrolum ad objectam papyru
albā picturas rerum foris illustratarū, repräsentant:
sic iidem rerum visibiliū species cēu picturas per pu-
pillæ forame subeentes in crystallinum depingunt.
P.Ram.in opt.Dn.Hartm.in prælectionibus opticis.

CONSECTARIA.

1. Ad visionem igitur requiruntur hæc tria, lu-
men externum, species visibilis & instrumentum
idoneum. Et existit visio, quando species visibilis per
medium extrinsecus recipitur in oculum, (sicut spe-
cies lapidis recipitur in speculum) & ab oculo, qua-
tenus vi animæ sentit per humorem glacialem (qui
ab animali spiritu, per nervum opticum eò delato,
perficitur) apprehenditur.

2. Quum autem quædam se visui rectè, quædam
vero obliquè offerant; hinc visio alia recta, alia obli-
qua dicitur.

3. Visio recta seu distincta fit rectis lineis ab aspe-
ctibili ad superficiem aspectus perpendicularibus.
Alhaz. l. i. opt. num. 18. seu: fit tantum secundum li-
neas perpendiculares à punctis rei visæ ad oculi su-
perficiem productas. Vit. 17. prop. l. 3. Opt.

4. Obliqua est, quando forma visibilis perve-
nit ad visus superficiem per lineas obliquas & refrac-
tionem. Dn. Gocl. in Notis super exer. Scal. 325, f. 4.

5. Ad visionem igitur rectam & certā & distinctā
hæc requiruntur. l. collocatio visibilis ante visum di-
recta Alhaz. l. i. n. 38. & Vit. 2. Prop. testii.

6. II. Organum recte & secundum naturam
dispo

dispositum, id est, sanum, vigens, integrum, illæsum
& quietum. Quare visus in ebriis fallitur, propter
crebram vacillationem capitum & oculorum.

7. III. Justa Magnitudo, quia res nimis parvæ
non videntur. Quicquid enim videtur, sub angulo
videtur. Eucl. 2. hypoth. opt.

8. IV. Densitas seu spissitudo quædam ac solidi-
tas visibilis Vit. 14. p. 2. & Alhaz. 1. n. 42. Quare
aer non videtur, quia lux, sine qua nihil videtur, Al-
haz 1. n. 39. & Vit. 1. prop. 3. non figitur in corpore
diaphano, ita, ut ei actum visibilitatis præster.

9. V. Justa & moderata distantia. Quare sol no-
bis minor apparet, quam est revera, propter diærum
magnum inter visum & visibile.

10. VI. Immotio axis. Quare figuræ in aquis ex-
pressæ visu non percipiuntur agitatis aquis, quia hic
non potest axis figi & firmari.

11. VII. Medium rectè affectum informatumq.
Quare aspicienti aliquid candens per vitrum rubru
illud falso apparet rubrum, propter medium aliena
qualitate affectum.

12. VIII. Proportio naturalis. Excellens enim
visibile laedit visum: Ut, si oculos diu defixos teneas
in solem meridie lacentem, aut visum amittes, aut
hebetabis.

Auctarium Physico Theologicum.

I. Ex his manifestum est, visibilitatem esse ad-
junctū propriū corporis (quam coloratum,) nec posse
ab illo, salvâ manente ejus essentiâ, separari. Omne
cuim corpus suâ naturâ ita est comparatum, ut possit
ex se

ex se producere speciem visibilem, eamq; ad organa
non transmittere.

2. Loquor autem de potentia passiva videndi,
non de actu. Sic enim nihil derogatur essentiæ cor-
poris, sive videatur, sive non: idq; propter defectum,
vel in uno, vel in pluribus requisitis, ad sensum ne-
cessariis.

3. At inquis: Aëris est corpus, nec tamen videtur?
R. distinguendo inter corpus tenue seu subtile, & so-
lidum seu crassum. Ad dūrum enim cōgruit in actu
producendam requiri & soliditas visibilis, ut dictū
est: Aëris autem cum tale quid non sit, ne videtur quoq;

4. Regeris: Solis corpus est subtilissimum, vi-
detur tamen, eo sicut & cœlum & stellæ? R. s. I. Cœ-
lum per naturam ineptum esse ad radiandum: N
igitur dici posse visibile per se, sed per accidens, id
est, per speciem alienam, nempe rerum in eo con-
tentarum.

5. II. Solem & stellas in cœlo esse corpora den-
sa & solida idq; duabus de causis. I. ut lucis capacia
esse possint: nam ex materia cœlestis contractio-
ne & condensatione orta est lux in singulis sideribus
Mag. l. 2. Phys. c. 4.

6. II. Ut corporibus inferioribus resistere pos-
sint: nam si secus, patet en. Dn. Gocl. l. 2. dis. Phys. I.

7. Instas: Corpus Christi est in pane Cœnæ
Dominicæ consecrato, nec tamen videtur, F. quod-
dam corpus humanum est invisibile. R. I. Fal-
sum est: corpus Christi realiter esse in pane ut con-
tentum in continente. II. Cum August. cap.

6. ad inquisitiones Januarii. Corpus Domini in Cœna manibus & labiis tangitur, in os Christiani intrat. Et cum Chrysost. in Matth. hom. 82. Corpus Domini in Cœna Eucharistica dentibus premitur, lingua gustatur: Ora & lingua rubent Christi sanguine. Ipsum Christum in cœna vides, ipsum tangis, ipsum comedis, sc. Sacramentotenus seu μυστικῶς, non ἐπωδῶς & in se ipso, seu in sua ipsius essentia, non in ipsa veritate, ut loquitur Augustinus, id est, non in sua substantia, quæ in cœlo est.

8. Ais, inter corpus gloriosum & πνευματικὸν, & inter oculum merè naturalem non est justa proportio. E. oculus humanus non potest videre corpus Christi gloriosum. R. I. ἐνστικῶς Corpora Mosis & Eliæ sunt corpora gloria & πνευματικὰ videbantur tamen ab Apostolis Christi II. Dico, corpus post resurrectionem non mutari, quo ad substantiam, sed tantum quo ad qualitates & affectiones.

CORONIDES.

1. An oculi felium, pardorum, noctilucæ videantur in tenebris, quâ tenebræ sunt? N.

2. An visio sit tantum perpeccio? N.

3. An iris sit oculi figuramentum? N.

4. Oculo clauso forma coloris ubi? R. in aëre.

5. An visus hallucinetur in proprio objecto? N.

6. Visus tamen judicans cœlum esse rubrum aut cœruleum, errat.

7. An idem numero Sol sit simul in plurimum oculis? N.

8. Qui dicunt, corpus aliquod in se visibile & invisi-

10

invisibile esse posse, illi dicunt contradictoria simul
vera esse posse. Una enim substantia seu natura con-
trariarum essentialium differentiarum aut proprie-
tatum capax fieri nequit: Canon Philosophorum
immotus.

9 Non ut humanæ facies intrant speculum: sic
corpus Domini invadit panem.

CULTISSIMO DOMINO
CASPARO MUNICHO IN ARENA
Philosophicā alacriter velitanti, Sigefri-
dus Lemppius,

Munichii laboribus,
Musis remotus omnibus
Grater rudi si carmine,
An me notarit invidus
Ipse ð parum curaverim.
Musis quid ac amiculis
Succus negarit roscidus.
Illud veham non unicè?
Quòd bruma non tardet tuū
Pensum Camænis ociū,
Et eruditioribus
Libris amica tempora.
Munichi amice nobili
Unus sophorum pectori

Tu solus, an quis invidet:
Ignava abhorres pectora,
Infensus horres ut pecus
Nidis iners quod delitet.
Visq; num cascis micas
Par, evehende dotibus
Cœli decus quæ demerent,
Soli & favorem nobilem.
Terris Jehovam nuncia
Et in polo te noverit:
Qui notus in Christo omnibus,
Cuius crux fiduciam
Poli patrisq; gratiam
Meret, beatq; perpetim.

Anagro.

Alsud ad eundem

B Ellerophontæ latices haurire caballi
Præsenti dantur tempore ritè tibi:
Et benè: Qui multum Logices sudavit in arte,
Est opus ut specimen proferat ingenii:
Tu quia nocturnis studiis nocturna dediti
Sydera volvendo sedulitate libros;

The:

Themata censuta fas est submittere sacra
Ut mentis pateant edita signa tuæ.
Præstat ut Ajacis sumas septemplicis armæ,
Quæs removet membris obvia tela tuis.
icitō, nec suspende moram, jam præmia dantur
Forti, nunc agitur sortis tua, curre cito.
Gratulor ergo tibi, quia cedunt omne fausto
Omnia fac valeas semper, Amice precor.

Idem eidem.

CASPARUS MUNICHIUS.

Per avaygauua
CUR HINC USUM SAPIAS?

Qui colit assiduus sua rusticus arva, molestum
Frigoris atque æstus sub joye sentit onus.
Nec lasso vili blanditur culictra plumâ,
Sed capiunt stratum bos & arator idem.
Caspare, haud aliter coluisti prata Sacratum
Musarum, Logices flumina dia bibens:
Dum sic ingenio sacra culmina tendis honorum,
CVR non HINC VSVM tu meritô SAPIAS?
Torturæque theses ut subjiciantur acutæ
Fas est, ut cingant aurea setta caput.
His lati gaudent ex toto corde parentes,
Gaudet honore pater, mater amore favet.

F. Ioannes Dimpelius Müntzenberg.

Aliud eidem.

Inter musicolas notosque vehende sodales
Quid tentas, animi quo vigor usque rapit?
Scilicet inclusas caveis imitare volucres
Quas vocat in laudes aura letena Jovæ.
Haud aliter soles, hybernos mente fagaci
Conteris, & mentem sideris instar alis.
Hinc tuus en prodit doctrinæ nervus & umbo.
Blanditus hoc ihesum flumine pandit opus.
Hinc cur non grates, coeprum augurer atq; secundum
Omines, & patriæ commoda multa tuæ?
Jova tuos, nostros regat atque favore labores,
Numinis ut crescat gloria lausque sacri.

Applaudens facebat Iohannes Effenwaldus P. S.

F I N I S.


invisibile esse
vera esse possi-
triarum esse
tatum capax
immotus.

9 Non u-
corpus Dom

CULT
CASPAR
Philos

Munichii labo-
Musis remo-
Grater rudi si car-
An me notarit in-
Ipse ð parum cura-
Musis quid ac am-
Succus negarit ro-
Illud veham non
Quod bruma no-
Pensum Camæni
Et eruditioribus
Libris amica tem-
Munichi amice n-
Unus sophorum

B Elle-
P
Et ben-
Est o-
Tu qui-
Syde



the scale towards document

imul
con-
prie-
orum

n: sic

NO
INA

anagr.

10